



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCXIX. Graf Günther von Schwarzburg zeigt der Stadt Lübeck an, daß der
R. König Rudolph, zur Beilegung zwischen den Markgrafen von
Brandenburg einerseits und den Städten Lübeck und Goslar ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

qualiter vos cum ipsis amicaliter complanemus. Scimus enim, quod vos estis nobis et imperio sic coniuncti, quod vos in vestris necessitatibus deserere non valemus. Vnde fortes et stabiles in deuotione imperii maneatis. Datum basilee, V Idus Marcij, Regni nostri anno X^o, Prudentibus uiris, magistris consulibus et uniuersis ciuibus Lubicensibus, dilectis nostris fidelibus.

Aus der Lübecksch. Urk. Samml. 1, Nr. CDXLII.

CCXIX. Graf Günther von Schwarzburg zeigt der Stadt Lübeck an, daß der R. König Rudolph, zur Beilegung der Streitigkeiten zwischen den Markgrafen von Brandenburg einerseits und den Städten Lübeck und Goslar andererseits, einen Termin auf den Sonntag nach Pfingsten anberaumt habe, ohne Datum.

Prudentibus uiris sincerissimis et Amicis diligendis, Aduocato, Consulibus et uniuersis ciuibus in Lubeke, G(untherus), Comes in Suarzbure, intime dilectionis plenitudinem cum salute. Pro eo, quod expediti sumus per vos liberaliter pecunia, quam dominus noster Rex in uestra ciuitate nobis assignauit, nuntios eciam nostros amplissime, prout asserunt et gloriantur, benignissime pertractando, quantum unquam ex affectu possumus sinceritati vestre gratiarum referimus uberrimas actiones. Noueritis itaque: missi per dominum nostrum Romanorum Regem gloriosissimum in multum prearduis negotiis, cum de Austria ad curiam rediissemus, ipsa tunc hora eadem inuenimus de Brandebure solempnes nuncios Marchionum, qui uobis et ciuitati uestre aliqua contraria seu derogantia in domino nostri Regis presentia proponebant; quorum propositiones contra vos factas tamen destruximus, quemadmodum per uestras nobis missas litteras petiuisis, et sicut Otto notarius, domini Regis capellanus, fideliter premouendo uestrum negotium et discrete, prout commiseratis sue industrie, sicut ipsemet audiuit domini marchionis responsum et indignationem, quam ad vos habent marchiones, coram ipso domino rege de uerbo ad uerbum plenius exponebat. Est tandem deductum ad hoc, quod dominus Rex marchionibus de Brandebure, uobis pariter et ciuitati Goslarie, diem placiti, uidelicet octauam pentecostes, hoc est diem sancte trinitatis, assignauit, ad quam diem placiti, ubicunque tunc dominus Rex fuerit, uestros idoneos nuntios in omnibus agendis contra sepedictos marchiones, ad omnem utilitatem ciuitatis uestre informatos plenius, uiros bene disertos, transmittere nullatenus obmittatis, quia dominus noster Rex intendit, tunc propositiones, hinc inde propositas, decidere, et dissensionis materiam inter dominos marchiones de brandebure, vos lubicenses et ciues Goslarienses penitus deplanare. Cetera Lator, cuius uerbis, que uobis ex parte domini Regis et nostra dixerit, fidem plenam dignemini adhibere. Prudentibus uiris, sincerissimis et diligendis amicis, aduocato, Consulibus et uniuersis ciuibus in Lubeke.

Aus derselben Sammlung Nr. CDXLIII.